





Q. D. B. V.

DE

SERVITVTE ERVDITA  
PACE RELIGIOSA  
SVBLATA  
COMMENTATIO ACADEMICA

---

Q V A

P R A E S E S

IOANNES GOTTLLOB HEYNE

A. M. ET ORD. PHILOSOPH. ADIVNCTVS

D. V. NOVEMBRIS

ANNO PACIS RELIGIOSAE SAECVLARI ALTERO MDCCCLV.

IN AVDITORIO MAIORI

L O C V M

INTER AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
ADIVNCTOS

BENEVOLE SIBI CONCESSVM VINDICABIT

R E S P O N D E N T E

IO. ANASTASIO GRVLICHIO

FREYBERGENSI

SANCT. HUMANIORVMQUE LITERARVM CVLTORE

---

W I T T E B E R G A E

EX OFFICINA GERDESIANA.

*Dr. Fabritius*



SE RIALTATI HE NIGIA  
EVCE PERIGOSA  
SARVIA  
COUNITATIS AGADEMICA  
BRAGA  
IOANNES GOTLOB HEINE  
HISTORICUS  
IN ADIDIO MARIO  
LOGUM  
LITER AMPLISSIMA PENTECOHNORVM ORDIBVS  
ADVENTVS  
TRANSPORTATVS CONVIVIA VINDICAT  
ERICO DANTON  
IO ANASTASIO ORATIVO

V I R O  
SVMME VENERABILI  
AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**MARTINO GRVLICHIO**

THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO  
ECCLESIAE TORGAVIENSIS PASTORI PRIMARIO

ET

DIOCESEOS SVPERINTENDENTI MERITISSIMO  
NEC NON LYCAEI INSPECTORI GRAVISSIMO

**DOMINO et PARENTI**

OMNI QVA-PAR EST  
PIETATE, VENERATIONE

A C

OBSERVANTIA  
ÆTERNVM SVSPICIENDO



TEMPORIS SVI ACADEMICI RATIONEM ALIQVAM  
REDDITVRVS  
DISSERTATIONEM HANCCE  
SVBMISSO ANIMI CVLTV ET REVERENTIA  
OFFERT AC CONSECRAT  
FAVORIQUE PATERNO AC PERPETVO  
DE MELIORI NOTA SE COMMENDAT  
FILIVS OBEDIENTISSIMVS  
DOMINVS IOANNS BARBARUS  
IOANNES ANASTASIUS GRVLICH.



V I R  
SVMME VENERABILIS,  
AMPLISSIME ATQVE DOCTISSIME  
PARENS SVBMSISO PIETATIS  
CVLTV SVSPICIENDE

Pater, ut eas Tibi, Parens Venerande, quas studia mea  
academica protulere, primitias, tamquam certissima,  
summae illius, qua Te prosequor, pietatis, signa, mente  
gratissima offerre queam atque exhibere. Licet enim, qui-  
bus pro tot tantisque beneficiis adhuc in me perbenigne collatis,  
animum Tibi meum longe deuinclissimum declarandi, gratias-  
que, quantum possum maximas persoluendi, saepius quaesuerim;  
nulla tamen exoptatior mibi, nulla data est opportunior, qua  
illud ipsum perficerem, praesente. Non enim sanctissimum so-  
lum tempus, quod solemnem religiosae pacis memoriam in men-  
tem nobis reuocat, me, aliosque eruditissimos Academiae nostrae  
Vitebergensis ciues, sacros bosce dies, ut disputando celebrare-  
mus inuitauit; uerum ille quoque imprimis dies proxime iam  
instans, quo ante annos LX. in hanc es lucem, Parens optime,  
suscepimus, impulit me atque excitauit, ut omnem in eo operam  
studiumque collocarem, quo publicum aliquod gratae meae mentis  
exstaret monumentum, quod, quanta Te pietate, animique pro-  
sequar religione, loqueretur. Scio ego quidem ac probe intelli-  
go, Te, cum barum rerum prorsus fueris ignarus, omnia abs-  
me



me prius, quam illud ipsum exspectasse, at, si diuinatione quid  
adsequi valeo, hoc eo gratius Tibi, iucundiusque fore arbitor,  
quo citius est spe Tua opinioneque factum. Trado Tibi igitur,  
Parens indulgentissime, ac offerro, bancce de erudita servitute,  
pace religiosa sublata, disputationem, quam defendere et ab alio-  
rum obiectionibus publice prolatis vindicare studui. Accipe  
eam, quam pietatis meae demississime Tibi obstrictae, testem esse  
uolo, biliori serenaque fronte, meque, quem innumerabilibus  
ad hoc exornasti beneficiis, amoreque amplexus es prorsus singu-  
lari, futuris quoque temporibus, quod obseruantissime rogo ac  
obsecro, Paterno Tuo favore, numquam iudica indignum. Na-  
talem vero diem, proxime Tibi praesentem, qui mirifica me  
laetitia cumulat, incredibilique uoluptate adscit, laetus fortu-  
natusque, quod ex animo opro, celebra. Reliquum quod restat,  
summum ego praepotensque numen ardentissimis sancte inuoco  
precibus, ut secundum uitiae sine ulla offensione cursum, quam  
benevolentissime Tibi largiatur, quo et imposterum, meam in-  
signiter promouere fortunam, familiaeque nostrae quam diutis-  
sime praeesse, et munere Tuo sacro quod uno omnes a Deo effla-  
gitant ore, felicissime perfungi possit. Vitemb. die 5. Nouembr.  
MDCCLV.

PROOE-





## PROOEMIVM.



Mirifice mihi semper placuerunt ea SENECAE a) uerba, quibus tam uere, quam grauiter pronuntiat: *Qui ante nos ista mouerunt, non domini nostri, sed duces sunt.* Pater omnibus ueritas, nondum est occupata: multum ex illa etiam futuris relietum est. Quam sententiam, etsi hodie non facile quisquam, nisi praecognitis occupatus opinionibus, in dubitacionem adducat: olim tamen, iisque praesertim temporibus, quae sacrorum antecesserunt emendationem, dubia multis falsaque ea uidebatur. Respicio illam sigillatim aetatem, qua tristissima ignorantiae ac, quae eius comes est, superstitionis, facies, totum fere obduxerat orbem: cum homines, quemadmodum uaria, ita ea premerentur seruitute, ut nonnisi, quod placeret aliis, scire, credere, affirmare, negare que auderent. Multos enim inuenimus istius temporis eruditos fuisse, quales saltem uideri illi haberique uolebant, qui-

A

bus

a) Epist. ad Lucil. 33.

2

bus Romanorum cura olim sacrorum erat, tales igitur, qui ueritatem omnem in suam ipsorum uenisse possessionem, claustraque sola eas officinas esse, in quibus omnis doctrina suum fixerit domicilium, ambitiose arbitrarentur. Hinc orta erudita quaedam seruitus, cui sapientores etiam obnoxii, uoluerint, noluerint, fuere. A cuius iugo liberationem, si paullo altius considerare constituam, non puto alienum quid ab hu- ius me temporis solemnitate suscepturum esse, quo pacis religiosae libertatisque, diuinitus nobis ante duo concessae sae- cula, piam celebramus gratamque memoriam. Cum igitur academicae rationes dissertationem a me habendam hoc tem- pore postulent, aliorum excitatus exemplis in eo eius argu- mentum occupabo, ut, quanta olim eruditis imposita fuerit seruitus, exponam doceamque, huius iugi depulsionem pacis religiosae fructum esse, eique acceptam referri debere. In hoc autem exsequendo proposito commodissime me acturum puto, si ipsa duce ordinis natura, commentationis huius par- tes constituam duas, quarum prima seruilem istorum tempo- rum conditionem describat exemplisque depingat eius fa- ciem miseram; altera uero demonstret euentuque compro- bet, qua ratione per eam pacem fructuosissimam hoc seruitu- tis eruditae iugum ab hominum sit ceruicibus depulsum.

## SECTIO I.

### *Quae seruitutem eruditam ob oculos ponit.*

#### §. I.

**I**ngressurus hanc, de seruitute erudita, commentationem, quoniam omnis, quae ratione debet, et uia procedere di- sputatio, a definitionis initii solet explicataque nominis notione proficiisci, intelligo etiam hoc requiri a me, ut quid per

3

per eam indicatum uelim, definiam ambiguatemque, ex hac dissertatione circumscribam. Iam primum, seruitutis in universum notionem non male quemquam arbitror sibi formatum esse, si eam, necessitatem agendi quod alter probat, nominauerit. Cui, qui subiectus est, quoniam libertate priuat, haud incommodè seruitutem cum LAERTIO b) uocare possumus *σέργοντα αὐτοπεριαγούσας priuationem liberae actionis.* Erudita igitur erit seruitus, illius *agendi necessitas, quod placet eruditis.* Omnia nimirum eruditorum iudicio iussuque metenda, nihil sentiendum, dicendum, faciendumque libere. Hinc omnia consilia resque omnes et actiones non ab homine eiusmodi ipso, sed alieno exoriuntur. Romanorum serui, iisque eruditi, quod constat, uaria negotia expediebant, et quamcunque domini uoluerant, artem tractabant omittebantque. Quod, nisi faciebant, grauissime in eos seuerissimeque animaduertebatur. Horum quidam erant pictores, chirurgi, unctores, et quam quisque personam gerere iussus erat, eam sustinere debebat. c) Nonne olim maioribus nostris idem fere accidit? Sub iugum quasi missi eruditorum, sentire, credere, scribere coacti sunt id, quod eruditum exigebat dominium. Expingebant et exculpebant eruditionis scientiarumque imagines, hac uel illa sperie iussi, et, quam iubebantur, inducebant personam metu compulsi. En duram grauem et minime decentem liberales homines seruitutem, quae eruditos olim preseruit, et quam nec ipsi hodie probant, qui Romanorum Praesuli obsequio sese obstrinxerunt.

## §. II.

Haud erit difficile exemplis ex antiqua memoria petitis nostrum probare adserendum: quorum, cum multa occurrant,

A 2

qui-

b) In Zenone Lib. VII. p. 441. ed. Menag.

c) Vid. PIGNORIVS de Seruis p. 70 - 80.



quibusdam tantum producendis rem effectum iri putamus. Principio, si prisca animo repetimus tempora, et quoad longissime mens respicere spatum praeteriti temporis poterit, eius recordamur memoriam ultimam, elegantes disciplinas proscriptas, iisque homines interdictos, inuenimus. Hoc PAVLLINVS PETROCORIVS d) ubi MARTINI uitam describit, de eius coenobio his uerbis testatur:

Exercere artem prohibet, conceditur unum

Scribendi studium

Attamen his rebus minor aetas sola tenetur.

Cum igitur homines bonis prohiberentur artibus, illae scilicet literae conticuerunt atque exulauerunt, quas humanas solemus diuinaspicere nominare. Illae autem quam arctiori cum his uinculo copulandae sint, optimus quisque perspicit. Ac MELANCHTHON fontem malorem inde detexit, quod homines olim a sanctorum disciplinarum societate humanas sciungendas longissimeque remouendas putauerint. Grauiter enim et uero conuenienter dixit e): Primum omnino ilias malorum est in erudita Theologia. Est enim confusanea doctrina, tota doctrina monstrosa est et similis illi picturae apud Horatium: Humano capiti cervicem cet. Cum igitur tantum babeat mali in erudita Theologia, facile iudicari potest, Ecclesiae opus esse multis magnis artibus. Hoc usu ueniebat primis istis barbarie dominatricis temporibus. Egregie erat doctus qui literas pingere, cantare librosque ornare figuris sciebat. Dignus igitur erat, nescio quis, cuius eruditio ita commendareretur: Hic in gremio ecclesiae nobiliter floruit. Nam peritus lector fuit, et cantor, et librorum illuminator f). Quod quidem studium

d) Lib. II. v. 115. p. 18. ed. CHR. DAVMII.

e) In Orat. de utilitate philosophiae Tom. I. Declam. p. 329.

f) Vid. Historia ORDERICI VITALIS. Conf. GUNDLINGII Historie

\* \* \*

dium, et si non omni laude uacet, rem tamen non conficit totam. PETRARCHA g) ita Monachorum merita describit sui temporis: *Alii membranas radunt, alii libros scribunt, alii corrigunt, alii ligant, et superficem comunt.* Et BARTHIVS b) hanc ipsis laudem tribuit: *Scribere autem muleis Monachis laudem meritam, ut opus ipsis proprium conciliauit, cui sane conservationem multorum optimorum librorum debemus, ut aliorum ignaviae inscitiaeque plurium amissionem.* Eruditio igitur, si qua supererat, neque barbara dominandi ratio, doctrinae expultrix, eam fugauerat, in claustris habitare solis uidebatur.

### §. III.

Aliud seruitutis eruditae exemplum illudque luculentum conspiciendum nobis sese offert in VIRGILIO Episcop Salisburgensi Saeculo VIII. Qui, quoniam docuerat, homines dari, qui aduersa nobis urgerent uestigia, quos Antipodas uocant, a ZACHARIA Pontifice Romano, stupore noui miraculi perculsi, iussus fuit loco, sacerdotioque decedere suo. BAELIVS i) ita de eo scribit. *Mr. Moreri en parle, mais sans toucher à une chose, qui meritoit d'être rapportée. Il n'a rien dit des persecutions, que ce Prelat effua pour avoir cru des antipodes. On en fuit la guerre à la cour de Rome: les flateurs des Papes eludent cela autant, qu'il leur est possible, mais ils ne sauroient eulier, que l'on n'en con-*

A 3

clue

Storie der Gelahrheit Tom. II. p. 1419. Alii alia eiusmodi exempla Cuppeditant inter hos CONRINGIUS Antiquitat. Academ p. 291.

g) Lib. IX. ep. 5. p. 321.

b) Aduersar. Sacr. Lib. II. cap. 4.

i) Dictionnaire Tom. III. p. 824.

k) Vbi etiam plura testimonia ex AVENTINO, aliisque huic rei probardae afferuntur.



\* \* \*

clue l'ignorance crasse de ce siecle la. Et paullo post, in notis  
subiectis: A peine eut-il debite cette doctrine, qu'on l'accusa  
de soutenir, qu'il y avoit un autre monde & d'autres hommes  
au dessous de nous, un autre soleil, un autre lune. Boniface  
Archeveque de Maience prit feu là dessus, & traita empes ces  
opinions. Il censura Virgile publiquement, & lui fit signifier  
en qualité de Legat du Pape de ne plus corrompre par de telles  
railleries la pureté de la doctrine chretienne. Le Pape envoia  
des Deputés au Duc de Baviere, & lui écrivit, que son intenti-  
on étoit, que se Virgile éroit prêtre, on le degradat du Sacer-  
doce, & qu'on l'envoiait à Rome pour y rendre compte de sa con-  
duite. Grauius itaque in eum consultum est, quam quidem  
in eos, qui Ciceronis tempore eam opinionem profiteban-  
tur, quae nunc ueritas aperta est. Illi enim, cum in hanc de-  
scendissent opinionem, tanquam excordes et stolidi tantum  
habebantur. Testis est CICERO <sup>l)</sup> ita eos, cum alloquitur:  
*Nonne etiam dicitis esse e regione nobis e contraria parte terrae,  
qui aduersis uestigiis stent contra nostra uestigia, quos anti-  
podas uocatis? Cur mibi magis succensatis, quia ista non ad-  
spicnor, quam eis, qui eum audiunt, despere uos, arbitrantur?*  
Mira seruitus, si, quae opiniones aliorum perspicaciam supe-  
rant, cum haud male fanae sint, eas damnare statim, atque,  
auctores loco suo ideo delincere !

#### §. IV.

Quanta autem seruitus fuerit eruditis subeunda Saeculo  
in primis X. quis est omnium tam ignarus rerum, hoc ut eum  
fugere possit? Refert hoc Saeculum tristissimam ignorantiae  
impietatis ac tyrannidis omnis imaginem, adeo, ut ipsi id hor-  
ruerint recentiores Pontificii <sup>m)</sup>. Hoc FR. SPANHEMIVS fuse  
pro-

<sup>l)</sup> In quaest. Academ. Lib. IV. Cap. 39.

<sup>m)</sup> In Hist. Christiana Suec. Tom. I. Op. p. 1439.

probauit, multis eorum exemplis, quos talis eruditorum presserat seruitus, in medium adductis. Cuius uerba, cum mirifice rem illustrent, non dubito huc apponere: Ita enim ille exponit: n) Quo factum est, ut Osores essent Monachi omnium bonarum sacrarumque literarum, desierintque monasteria esse meliores scholae. Usque adeo, ut, si qui Abbates essent harum amantiores, non ante quiescerent γαστέρες ἀργοὶ, donec aut sponte, aut conute Abbates illi decederent, uel ex Rabbanii Fulensis exemplo Aeuo priore, dein Reginonis Prumenis, qui ad huius saeculi annum fere XII. peruenit. Idem Abboni imo grauius contigisse referunt. Abbari scilicet Floriacensi Aurelianensis dioceos, ipso Baronio describente ad annum MCCCCCLXX. N. V. qui dum monasticam disciplinam ac literarum scientiam promoueret, hoc ipso a Monachis suis occidendus fuit, eliso gutture, ut Scotus superiore saeculo graphiis confodiendus fuerat.

### §. V.

Iam missis reliquis propriis ad ea accedimus tempora, quae repurgatis sacris coniunctioniora sunt, magisque contigua. Quae tempora, cum animo perlustramus, mira etiam seruitutis literariae incrementa animaduertimus, ea nimurum aetate, quae in Saeculum incidit XV. Scriptores bonaे fidei referunt, PAVLLVM II. Pontificem R. odio in bonas inflammatum literas, PLATINAM, POMPONIVM LAETVM et CALLIMACHVM in custodiam datos uariis affecisse cruciatibus. Testis est PAVLLVS IOVIVS o) qui ita rem refert accidisse: Callimachus indignam insonre animo subiit calamitatem, quum Paulus II. illustres academie sodales, odio temere concepto, tanquam maligne conspirantes persequeretur, ita, ut ipse ante alios desumti Graeci nominis reus, tormentis et carcere poenit daret.

Prin-

n) l. c. p. 1440.

o) in Elogiis Doctor. Viror. p. 90.



8

Principis indocti furiis impulsa fugauit  
Roma , sed excepit Sarmata Callimachum.  
Quid non fata queant Romae sub Principe duro?  
Danubio Tbris plus feritatis habet. p)

Idem IOVIVS in POMPONII LAETI Elogio q) : *Eum inquit mox Pauli II. iniuria percelebrem fecit , quum literatos quosdam , et in his Platinam atque Callimachum tanquam impios arque maleficos tormentis excruciasset. Veterum enim ingeniorum illustria nomina sibi ipsis indiderant , quum in coetu sodalium laureati Musas colerent. Ea nominum nouitate Pontifex elegantiae literarum imperitus suspiciosusque uebementer offendebatur , quasi id effer occulta conurantium tessera ad obeundum insigne facinus.* Satis haec quidem exempla indicare possunt , quam seruilis olim eruditorum fuerit conditio , ac quam graue difficileque obtigerit hominibus , ceruicem a iugo retrahere.

### §. VI.

VVIMPHELINGIVS r) quoque eius rei testis esse potest , de quo paucis iam eiusque , qui huc pertinet , statu , agam . Hic quoniam doctior videbatur , quam multorum ferre ratio , sustinereque poterat , apud IVLIVM II. Pontificem *haereses* postulabatur , et quidem illius maximi , ut putabant , criminis , quod AVGVSTINVM neque monachum fuisse , neque Augu<sup>s</sup>tinorum more uestitum , statuisset . Sed ipse Pontifex aequior harum rerum iudex culpae eum expertum pronuntiauit.

### §. VII.

- p) Vid. I. B. v. E. freymüthige Gedancken aus der Historie der Critie p. 161. ubi e. TOSCANI PEPLO haec adducit.  
q) p. 88.  
r) Vid. GVNDLING in der Historie der Gelahrheit Tom. II. pag. 2180. Melch. Adami in uitis Theologorum , p. 22.

§. VII.

Nec iis temporibus, quae LVTHERO vicina sunt, in eiusque incident vitam, homines liberati a tali seruitute fure. Scimus, quantum ERASMVS odii apud multos incurrit, propterea, quod elegantioris doctrinae erat studiosior. Plenae sunt eius epistolae querelarum, de iniuriis sibi conuiciisque ac periculis inde ortis, quorum auctores facetissime, cum in *Encomia moriae*, tum in aliis scriptis, perstrinxit. Fatetur ERASMVS aliquo Epistolarum loco, quem memoria, male fida, nunc non suggerit, se nunquam potuisse sustinere impressionem hostium coniuratorum contra bonas literas, nisi HADRIANVS, tum Cardinalis, hoc edidisset oraculum: *Bonas literas non damno, bæreses et schismata damno.* Ipse quidem HADRIANVS, quamvis doctior, eloquentiam tamen elegantiorem contempsit, licet non tanto fastidio, ut alii eius temporis Theologi r)

§. VIII.

Quoties Lutherus ac Melanchthon de seruitute, sub qua non solum bonae literae, sed sacrae etiam doctrinae, gemitabant, conquestus est! Quorum et aliorum querelae, cum notiores sint, quam ut huc afferri debere videantur, iis adducendis supersedere possum. Vnum tantum et item alterum locum, huic rei confirmanda, adducam. MELANCHTHON<sup>s)</sup> luculenter docet, quanti et quales olim, ea aetate, hostes literarum fuerint: *Nunc uidemus, inquit, nusquam esse infestiores hostes bonarum artium, quam in illis sacerdotum sodalitiis.* Proinde necessario tempore nobis in mente venit, exulantes, suis sedibus, literas, hospitio excipere, et tanquam domum

B

domum

r) Conf. GER. MORINGI uita HADRIANI VI. p. 15. ed. CASP.  
BURMANNI.

s) Declamat. Tom. I. p. 439.





domum deducere. Alterum locum, ex eodem auctore<sup>t)</sup> petitum, afferam: *Hic vestram fidem, Principes, vestram pietatem implorat ecclesia, ut hactenus philosophiae et humanarum traditionum captiuam, uel tandem ab hac misera, et his Babylonica seruitute adseratis.* Eandem sortem Lutherus seruitiumque sui temporis conquestus est grauissime, cuius uel unus locus uinis tanquam coloribus ueram nobis sifit imaginem: *Perdita, inquit, u) sunt studia nostri seculi. Sic enim interpretabuntur, quibus decretum est, non quinquennio cum Pythagoricis, sed perpetuo, et in aeternum cum mortuis silentium tenere, omnia credere, semper auscultare, nec unquam, saltem leui praeludio, contra Aristotelem et sententias, uelitari et missare.*

### §. IX.

Cum locum illum LUTHERI, quem descripsimus, considero, eamque in eo factam Aristotelis mentionem perpendo, animum tangit insignis quaedam seruitutis eruditorum memoria, qua Aristotelii ueteres adstricti, tanquam mancipia, fuerunt. Quod quidem seruitium, si quis ante oculos sibi posuerit, ambiget sane, ridendumne magis sit, an potius dolendum? Scilicet in Academiis quibusdam, iisque haud ignobilibus, legimus in more fuisse positum atque constitutum hoc, ut, qui scientiarum magistri essent, ii iureuando fidem facerent, se tenacissimos constantissimosque Aristotelis affecas futuros, neque ipsius doctrinae aduersum quid docturos, neque defensuros esse. Exhibit CHRISTIAN. THOMASIVS<sup>x)</sup> talem iurandi formulam, cui subscriptum uidemus annum MDXC.

Quod,

<sup>t)</sup> Tom. II. Oper. PHILIPPI p. 38.

<sup>u)</sup> Tom. I. epistolar. p. 10. Ienae 1556. in 4to.

<sup>x)</sup> Vid. ejus Monaths-Gespräche P. I. p. 599. ao. 1688. Conf. GRATIANI ASCHPANTI libellus, de superstitione erudita. Colon. 1728. p. 20. seq.

Quod, nisi quis seruitium maximum eruditorum iudiceret, is, nescio, quid tandem pro seruitute habeat. Hic autem neminem tam malum interpretarem puto futurum esse, quasi praescriptam receptamque consuetudine olim docendi rationem reprehendere uelim. Scio, optimas quasque societas legibus teneri, et quaedam praescribi, optimo iure, solere. At ego, si quid reprehendere, tanquam seruile, uisus fuero, illum immaturum olim in Aristotelem amorem significo, quo homines, tanquam turbine abrepti et excoecati, Aristotelem, tanquam primae magnitudinis stellam, in coelo philosophico, suspicendum solum, putabant. Ideo iure illis succensendum est, qui Aristoteli, tanquam Regi in regno philosophico constituto, ac in solio posito, omnem ueritatem subiecerunt, ita, ut homines ne hincere quidem contra eius doctrinam auderent. Hinc mirabilibus eum honorauerunt titulis. Vocarunt nimirum unicum Philosophiae aquilam, summum scientiarum omnium Dictatorem, Philosopherum Deum, humanae sapientiae Dictatorem, Sapientum Pontificem maximum. Vid. A SPAN. loco supra laudato. Misera seruitutem, ubi coecum ducem sequi multis uiae erroribus, in tenebris, homines coguntur! Iniuste satis ac acerbe, antiquis praesertim temporibus, constat Aristotelem regnasse, ubi doctores illi Angelici, Seraphici, cet. in summo fure re pretio. Grauiter igitur iusteque LV THERVS AC MELANCHTHON hanc seruitutem increpuerunt. Quorum hic: *Sensim, inquit, y) neglectae meliores disciplinae, eruditione graeca excidimus, omnino pro bonis, non bona, doceri coepta.* Hinc prodire, Thomae, Scotti, Durandi, Seraphici, Cherubici et reliqui profiles numerosior Cadmea sobole. Accedit insuper, quod non solum contenti ueteres studio nouorum, sed omnino, si qui in eam supererant aerat, ceu in Lethen ablegati perierunt. Ille autem, LV THERVS, ita Aristotelis seruos describit: z) *Sunt illi boni.*

B 2

y) Tom. I. Declam. 48r.

z) Epist. T. I. p. 73.





homines Aristotelii et Porphyrio captiui, nec quid, sed quia dicunt, aduentunt: inde sit, ut nec unius capituli scripturae possint intelligentiam capere, multo minus tradere. Quam ignari autem atque infici fuerint illi Aristotelis tanquam satellites, qui homines in ipsius seruitium redactos, constrictos quasi tenebant, testes supra laudati saepius ostenderunt. Operae pretium erit, eos denuo audire. Ac MELANCHTHON quidem ita eos nobis adumbrat: a) Complexorum doctrinae, quas tenebras non offuderunt argutiis? Quales sunt: Genus est species: Nullus et nemo mordent se in sacco: Parisiis et Romae uenditur piper. Arcent foro suo, quae non assequuntur. LVTHERVMB) uero, sic audias: Imo ne Philosophi Aristotelis unum capitulum intelligunt: quod cum gloria spero me probaturum, si examinandi daretur facultas. Haec ideo tam copiose attuli, ut docerem, me, non temere, ridendum, aut si mauis, dolendum, hanc seruitutem uocasse. Quae quidem, si unquam, iis certe, quibus LVTHERVVS uixit, temporibus, maxima incrementa ceperat, ut illud PLAVTIC) huc non immerito traxeris:

- - - Nam ita nunc mos uigeret,  
Ita nunc seruitu' est, profecto modus baberi non potest.

### §. X.

Ex his omnibus, ni fallor, clarissime patet, quam maxima pristinis, iisque sigillatim temporibus, quae feliciorum repurgatae religionis pacisque antecesserunt faciem, imposita fuerit eruditis seruitus. Fuerunt quidem, quod non inferior, in mediae barbarie et seruitutis tempore, nonnulli homines, qui maiori ingenii doctrinaeque lumine, tanquam e tenebris, exsplenduerunt. Sed scimus etiam illud, quam graue fuerit illis;

a) Tom. I. Declam. p. 490.

b) Epistolar. Tom. I. p. 57.

c) in Gurcul. Act. 2. scen. 3.

illis, seruile excutere iugum, atque e caligine dominatrice elutari. Si quis enim surgebat aliquando liberalioris ingenii ac conditionis homo, cui magis curae esset, cordique, eruditio, bone Deus! quot minae, increpationes, iniuriaeque, periculi imminentis praenuntiae, undique in eum conuolabant, adeo, ut saepius loco moueretur suo! Hoc neminem praeterit eorum, qui, quid illa gestum inter eruditos, aetate sit, non ignorant. Quo factum est, ut libere sentiendi facultate sublata, ut quisque tutissime uiuere uolebat: ita maxime in aliorum uerba opinionesque iuraret. Non defuere tamen, qui, quam libere non auderent, alia persona, quam mentiebantur, induiti, quo laterent tutius, sententiam professi sunt suam, barbariemque regnaticem faceto sale perstrinxerunt.

*Seruitus obnoxia*

*Quia, quae uolebat, non audebat dicere,  
Affectus proprios in fabellas transfluit,  
Calumniamque fictis elusit iocis. d)*

Quorum tamen conatus, cum viribus non adiuti essent, tantum absuit, ut obstinatam expugnarent barbariem, ut potius uelut uictrix, haec dominandi ratio, reluctantem uinceret, seruituteque constrictos denuo, firmiusque teneret.

§. XI.

Quantum autem damni in doctorum societatem inuexerit haec dominandi ratio, is omnium optime perspiciet, qui, ad quam maturam messem succreuerit eruditio liberis temporibus, non ignorat. Quae quidem eo praestantior nobis cariorque esse debet, quo maius Reipublicae afferit commodum atque ornamentum. Quod quidem MELANCHTHON,

B 3

uer-

d) PHAEDRVS Lib. III. fab. I. p. 98. ed. Schefferi.





uerbis admodum magnificis ante oculos ponit omnium: e)  
Non ulla, inquit, propugnacula, aut moenia firmiora urbium  
monumenta sunt, quam eruditione, prudentia, et aliis virtuti-  
bus praediti ciues. At enim uero, ubi quaerenda erunt haec  
ciuitatis cum ornamenta, tum monumenta, si eruditis seruulis  
nota inuritur?

To δέλον ἔχ οὐδεῖς, ὅσον καιόν;  
Οὐ χεὶ ποτ' ἀνδρα δέλον ὄντ' ἐλευθέραις  
Γνωμοις διώκειν, δόξ' εἰς αργίαν βλέπειν.

*Nonne cernis, quantum sit malum, seruitus?  
Nunquam oportet seruum ingenua  
Studia tractare, nec otium sequi. f)*

Quem locum, si ad eruditos inseruientes applicemus, uiuide  
eorum seruilem sortem adumbratam uidebimus. Quae,  
quam perniciosa sit, ex eiusdem poetae uno atque item al-  
tero loco, in luce collocabimus:

Δέλγ, τοδ̄ ἐπιας, μὴ λέγειν, ἢ τις Φρονεῖ.  
Serui est, (quod dixisti,) non dicere aliquem id, quod sen-  
tias. g)

Δέλω γὰρ ἔχ οἶον τε τἀληθῆ λέγειν,  
Εἴ δεσπόταις μὴ πρέποντα τυγχάνονται

Seruo non fas est, uerum dicere,  
Quod bero fuerit incommodum. h)

Quod,

e) *Declam.* Tom. I. p. 439.

f) EVRIPIDES in *Antiope* v. 81-83. p. 455. ed. Barnesii.

g) *Id.* in *Phoenissae* v. 395. p. 126.

h) *Id.* in *Busiride* p. 463.

Quod, si uerum est, uti est uerissimum, eruditos nempe ini-  
quae olim seruitutis terminis, cohibitos fuisse, ac circumscris-  
ptos, nonne uerum perspicietur et illud, eo rem uenisse, ut eru-  
ditionis splendore extincto, grauissimi errores turpissimique,  
seruitutis huius, tanquam matri, filii, nascerentur? Vere igit-  
tur dicit MELANCHTHON: i) *Si lumen eruditionis in Ecclesia  
extinctum fuerit, deliria exorirentur uaria, ut antea accidit.*  
Etenim, qui, sublata luce, in tenebris uersatur, errat, labitur,  
multisque expositus est periculis. Hoc uolunt, qui erudita  
illa seruitute alios premunt, ut opinionum nebula obducti  
coecutiant, nec quid uerum sit, quid falsum, discernere, gloriae-  
que officere ipsorum, possint. Veritatis igitur illustrandae,  
cui lumen ademtum, quid facilius, quam ingentia, atque  
horrenda opinionum errorumque monstra efficiet. Quo-  
rum opinionum imperio, cum non amplius seruitute manci-  
pati simus, sed ab ea liberati, iucundissima omnino subit ani-  
mum illius memoria temporis, quo tali iugo excusso, in li-  
bertatem vindicati sumus dulcissimam. Quod, quomodo fa-  
ctum fuerit, pace in primis religionis saluberrima, operaे pre-  
mium duco, in commentationis huius parte altera, iam pluribus  
considerare.

## S E C T I O . II.

*Qua ratione per religionis pacem erudita serui-  
tus fuerit sublata.*

### §. XII.

**C**onsiderantem me igitur hanc, quam dixi, seruitutis de-  
pulsionem, eamque, quae in eius suffecta locum est, li-  
bertatem dulcissimam, perpendentem, non potest eius

poe-

i) Declam. Tom. I. p. 345.



◎ ◎ ◎

poenitere sententiae, ut firmas huius felicitatis origines a pace, diuinitus nobis data, repetendas putem. Eum ualde oculis captum omnes iudicarent merito, qui pacem hanc optimam potentissimamque seruitutis, etiam literariae, expultricem, agnoscere se uidereque negaret. Huic enim, quemadmodum multa alia, eaque praestantissima accepta referimus commoda: ita, hanc, qua nihil est dulcius, ab opinionum seruitio immunitatem, laeti tribuimus. In qua consideranda temporis aliquid operaequa ponamus, non quod difficilem demonstratu eam putemus, sed, ut eius praestantiam consideratu dignissimam, aestimandamque maximi, ante oculos denuo collocemus.

### §. XIII.

Libertatis, autem, quam praedico, felicitatem, in eo ponemus, ut eam cum LAERTIO k) ἔγριαν αὐτοπραγίας dicamus. Ea enim nobis licet tam felicibus esse, ut non cognatur ueterum sententias, easque saepe absurdissimas, pugnacissime defendere, neque harum opinionum auctores, dominos nostros putare. Sua quisque enim gaudet libere sentiendi facultate, nec quia alii dicunt, credere iubetur ac teneatur. Quis enim nunc in latissimo eruditionis campo, tam angustis circumscribitur limitibus, ut non facultas ipsi detur, proprio in ueritatem inquirendi studio, doctrinarum quasi iter emetiendi? Hic autem nemini in suspicionem ueniam, quasi putem, de rebus quoque diuinis, licitum esse, credere docerique, quod quisque uelit. Licentia haec esset, nec libertas dicenda. Nonne etiam conceditur omnibus qui quidem apti ad hoc sunt negotium, ueritates diuinas explorandi explicandi que potestas? Sed ueritatis sanctioris, erroribus perturbandae, merito homines interdicuntur ac prohibentur libidine.

### §. XIV.

k) in Zenone Lib. VII. Segm. 171. p. 441,

## §. XIV.

Huius uero originem libertatis, cum explicare uolumus, necesse est, ut quorum in primis ope, haec oppugnata sit expugnataque seruitus, paucis recordemur. **LVTHERVM** autem, hic optimus quisque fatebitur, eum esse, qui diuinitus excitatus nostram ciuitatem primum et regionem, deinde alias, a seruitio abstraxit. Hic enim huius iugi impatiens, cum uehementis esset vir ingenii et immensa omnia uolueret animo, cum aliam, tum hanc etiam, exutiendam sibi seruitutem eruditam, putauit. Cum enim Scholasticorum opinionum erroribus, tanquam cardinibus, totam fere seruitutis molem inniti uidet, eos, ac seruile in Aristotelem studium oppugnauit, euentuque felici grauissimus auctor fuit, ut homines liberius bonas discerent artes loliaque fabularum extirparent. Nec ullius se deterrei passus **LVTHERVS** est minis, fulminibusque, ex arce Tarpeia vibratis. Quo factum est, ut alia seruitute sublata, eruditorum quoque minueretur tollereturque seruilis conditio. Ut enim ipse erat, quod in iis barbarie temporibus mirari subit, eruditissimus vir: ita id sibi negotii datum putauit, ut corruptis sui saeculi studiis aptissima quaereret remedia. Dissipatis igitur tenebris, orta lucis aurora, instantis diei praenuntia, moestiae speciem literis densit libertatemque significauit. Hic uero occurrentum illis est, qui putant, tantum abesse, ut Lutheri doctrina libertatem literis vindicarit, ut potius iis interitum omnem inuexerit. **GRETSEVR** in libro, *de Luthero Academicō*, passim hominibus persuadere non ueretur, Lutherum omnium bonarum artium studiorumque hostem iuratū fuisse. Ipse **ERASMVS**, qui alias **LUTHERO** elegantem doctrinam, ipsius *de seruo arbitrio*, libro adhibitam, tribuit, alibi eandem non dubitat inflare tibiam. Dicit enim quodam, qui memoriae iam non succurrit, loco: *Vbi Lutberanismus, ibi literarum interitus.* Item in epistolis:

C





lis: 1) *Lutherus maxima iniuria grauauat et nos, et bona studia.*  
 Sed hanc iniuriam, cum ipsa Lutheri rerum gestarum memoria repellit, tum etiam docti quidam uiri eam, criminantiumque linguam, publice fortiterque retuderunt. m) Quid? quod ipse Lutherus ille fuit, qui aduersariis occasionem dedit, ut studia ea, quae fere neglecta iacebant, paullo liberius diligentiusque tractarent. Exprobrant porro Luthero, quod philosophiam omnem, cuius fuerit expers, tollere uoluerit ac quasi furculis eicere. At enim uero Lutherus oppugnauit falsam et nugaticem Philosophastrorum phisophiam, quae optima tunc ingenia detinebat et impedimenta ueritati maxima obiiciebat. In Aristotelem merito inuectus est, misere deprauatum, superstitione cultum, ac multis capitalibus erroribus labentem: adeo, ut eius quidem philosophandi rationem abrogatam cuperet. Et, si durius quid interdum contra philosophiam locutus videatur, facile ei condonandum est, cum praeceps ingenio in iram, intolerabilem abusum, qui uix remedium patiebatur, detestaretur. Ipse enim non ignarus fuit philosophiae, sed teste WINSHEMIO: n) *In doctrina Aristotelica, ut quisquam altius, peruolutatus erat.* Quam quidem philosophiae cognitionem ipsi tradidit Iodocus Isenensis, o) ipseque in hanc vocatus Academiam, Dialecticam Aristotelis, et Physicam professus est. p) Sententiarios ita legendo sibi familiares reddidit, ut, MELANCHTHONE teste, q) Gabrielem et

l) Tom. III. Oper. Lib. XIII. p. 478.

m) Vid. von SEELEN Oratio, quae inscripta est: *Lutherus de scholis optimie meritus.* DORNMEYERVS de Luthero humanioris litteraturae cultore et aestimatore, et HALBAVERI diff. de Ecclesia Lutherana melioris litteraturae Patrona.

n) In Orat. 1560. hab. Vid. Tom. V. Declam. Melanchth. p. 333.

o) CONF. SECKENDORF. *Hist. Lutheranismi* Lib. I. Sect. 8. p. 21.

p) MELANCHTH. in vita Lutheri, Tom. IV. Declam. p. 503.

q) l. c. p. 502.

et Cameracensem ad uerbum memoriter recitare posset, nec  
Occamus ipsi hospes esset. Verae autem philosophiae Luthe-  
rum non fuisse hostem, ex eo patet loco, quem hic descri-  
bam: *Nebementer, et totu[m] coelo errare censeo, qui PHILOSO-  
PHIAM et naturae cognitionem, inutiliem putant Theologiae.* r)

### §. XV.

In societatem consilii operisque sumtus Melanchthon  
fuit, ut a corpore hominum iugum acerbissimum repelleretur  
seruitutis. Hic operam suam Lutheru[m] egregie addixit, eoque  
socio, multas sustinuit periculi procellas: quamquam semper  
lenibus remediis aptior, animos fleti, quam frangi, putaret,  
cum tutius, tum facilius esse. Huius enim eruditissimi viri,  
qui pietatis ac omnis purioris eruditionis instaurator merito  
dicitur, s) eruditionem maximam, ingens timor aequabat.  
Quae quoque causa est, cur Aristotelem non e ciuitate pellen-  
dum, sed medelam ei adhibendam, putaret, sperans eo facilius,  
tempus animis sanitatem allaturum. In qua quidem re euen-  
tus spem suam interdum elusit. Interim immortales ei gra-  
tias debemus, pro summis in literis meritis, quibus expul-  
sa dominatrice barbarie, Vitembergam adeo celebrauit, eam,  
ut merito omnium praestantissimam artium eruditricem uo-  
care posses. Cui rei confirmandae, et quantum iugi excusse-  
rit, ostendenda, unum et item alterum locum adducam.  
WINSHEMIUS r) in oratione in funere Melanchthonis habita,

C 2

iustis

r) In epistola ad MELANCHTH. Tom. I. epist. p. 360. Conf. Cl.  
HEVMANNVS in Act. Philosoph. P. II. p. 589. Vid. FROEREISENII  
*Vindiciae Lutheri, quibus eius manes a philosophiae summo  
odio et contemtu, crassaque ignorantia, vindicantur.* Argent.

1617.

s) In epistola quadam Anonymi ad Principem Georgium Anhalti-  
num 1548.

r) Vid. Tom. V. Declam. Melanchth. p. 291.





iustis, sic eum extollit laudibus: *Commendat Capnio Principi Fiderico, Philippum, iuuenem adhuc, qui ipsum statim assumtum buc misit, ut Graecam linguam hic doceret.* Quae tenebrae tunc hic fuerint, non iam dicam, sed intra paucos annos Philippus eam lucem, non tantum linguarum, sed et caeterarum optimarum disciplinarum hic exultit, ut unius huius uiri ingenio et opera, haec schola facile caeteras, in Germania, Academias celebritate superaret. In alia oratione, u) quae CRVCIGERI putatur, haec legimus urba: *Haud scio an nullo in hoc loco postea eruditione doctrinæ, excellerit quisquam, qui non ex hac Academia prodiisset, cum hic uixisset uel discipuli loco, uel etiam docendi munere functus esset.* Et paucis interiectis: *Factum est, ut quasi municipium quoddam hoc, Musarum, id est, omnis liberalis et ingenuae cognitionis ac facultatis existeteret.* Omnes autem boni, quibus hic consistere non licuisset, banc ramen Academiam, quasi patriam alteram suam, gloriando ostentarent. Hinc suo iure potuit affirmare Melanchthon: x) *Pulsa ueritas nobiscum adhuc Dei beneficio philosophatur.*

## §. XVI.

Iam uero, ut ad rei caput ascendamus, neminem puto tam perpugnacem esse, atque in concedendo tam difficilem, quin mihi se dare dicat hoc, per hos, quos dixi iam, duumiros, quemadmodum aliam, ita eam quoque, qua oppressa eruditio erat, seruitutem, fractam esse a ciuibusque depulsam. Ea enim, quae attulimus, ostendere satis possunt, homines, qui sententiam profitebantur liberius, literasque, quam antea, tractabant studiosius, eos ab opinionum arbitrio sciunctos, atque in libertatem uindicatos fuisse. At nullum simul tam male credulum futurum esse, mihi persuadeo, qui suo assensu non

u) l. c. p. 420. 423.

x) Tom. I. Declam. p. 68.

non comprobet, hanc non potuisse feruitutem supprimi penitus, nisi rebus turbulentis pax interuenisset, firma libertatis conseruatrix. Ut enim taceam, nondum exutas animo depositasque, omnes opiniones fuisse, quae tanquam dominae homines regerent: bellum opinione citius exarsit grauissimum, cuius flamma, ueluti uictrix, cum omnia consumeret, uerendum erat, ne libertas denuo in seruitutem uerteretur. Duce enim capto optimo, Principe Ioanne Friderico, omnes iam spes tota, minime tamen cura, deseruerat, exanimis uice unius, a cuius salute, multorum salus libertasque pendebat. Immo ipsa urbe, qua nulli hostis infestior erat, occupata, dolore tantae ad irritum cadentis spei, quid animo magis quam nouum seruitium obuersari potuit? Testes sunt ii, quos in hoc, longa uita et infelix senecta, traxit, ut hanc calamitatem uidentur, inter spem metumque dubii haerentes. Quorsum referas **BVGENHAGENIVM**, qui cum aliis, <sup>y)</sup> cum in urbe maneret, in minime gratum spectaculum suspensus erectusque intendebatur, Dei tamen auxilio, ipsa inclinata spe, fortiter feliciter confisus. Actum erat de libertate et salute maiorum nostrorum, nisi diuina cura prouidisset, ut a ciuibus iram belli hostis abstineret, immo paucis interiectis annis, exoptatissima pax, libertatis omnis felicitatisque conseruatrix, sequeretur.

### §. XVII.

Haec autem pia et salutaris pax, quin quemadmodum aliam, ita eruditam quoque excusserit seruitutem, nemo, credo, dubitat, qui, quantum nobis ea concessum sit, non ignorat. Omnis enim

<sup>y)</sup> Nempe **CASP. CRVCIGERO**, t. t. Acad. Rectore, **EBERO**, **FENDIO**, **FROERERO**, **BERNARDO** et quibusdam aliis. Vid. **BVGENHAGENII** historica narratio quid Vitembergae in hoc bello acciderit, ap. **HORTLEDERVM** Tom. II. Lib. III. c. 73. p. 587. 589.

enim laesio mutua interdicta est, atque ~~autovix~~, id est, libertas, nostris legibus uiuendi, sacrisque utendi, nobis permisfa; z) Quibus permisis, facile patet, maiorem libertatem pro testatemque concessam esse in ueritatem omnem inquirendi. Quod cum fieret, homines ad ueteres opiniones non amplius, tanquam ad saxum, adhaerescere cogebantur, et omnia nobis ista studia, quae antea de manibus excutiebantur, excoli magis amplificarique coeperunt.

### §. XVIII.

Quod si euentu, teste harum rerum locupletissimo comprobare uoluerimus, maiorem sane nunc, quam antea, literas maturitatem duxisse, inueniemus. Scimus enim ab ipsa natura constitutum esse hoc, ut, quo quis minus tenetur aliorum pugnacissime defendere sententiam, eo felicius is ueritati inuenienda propagandaeque atque excolenda consulere possit. Quod cum praestitum fuisse egregio, constet, quis est, quin perspiciat, hoc non nisi pace moderante, excussoque opinionum seruitio euenire potuisse? Licet nobis illorum exemplo uidere, qui opinionum praejudicatarum dominio adhuc seruiunt, iisque praesertim regionibus, ubi inquisitio intolerabile iugum imposuit hominibus. Multi quidem, quod negare non debemus, liberaliori modo ac laudabiliore, excolunt literas, quorum tamen plerosque Pontificis R. utilitate tanquam regula, suam eruditionem metiri oportet; Hinc, ut de aliis tacceam emendatis literarum scientiis, nondum sanior faciliorque philosophandi ratio locum potuit obtinere. Quod quidem de plerisque, non de omnibus, affirmo. Constat enim multos iam excusso Aristotelis iugo praestantiores duces, immo ipsum

z) Vid. GOLDASTVS Constit. Imper. T. I p. 574. Summ. Ven. D. HOFMANNVS im Vnterricht vom Iubel-Fest p. 54. 55.

ipsum Wolfium sequi, quamuis cautius interdum iis sit mercandum. Sed ad quantum apud *Protestantes*, cum haec, tum alia studia, fastigii cœcta sint, optimus quisque, ueritatis compulsus uiribus, farebitur. In uerum enim inquirendi libertatem, cum pax attulerit, comprobatum est illud quoque CICERO: a) *Pacis est comes, otiique socia, et iam bene constitutae ciuitatis quasi alumna quaedam, eloquentia.* Haec autem tempora pacifica, quantum prouentum tulerint uirorum, diuina excellentium eloquentia, titi aliae, ita nostra academia, testis est locupletissima. Haec enim alma mater multos fouit, et sustentauit filios, qui ad eloquentiam, uti requiritur, animum, omnium fere scientiarum, tanquam flumine, imbutum, attulerunt. Quod etiam, nisi in arctum compelleremur, de aliarum artium scientiarumque incrementis ostendere facile possemus. Sed, cum ipsa loquatur experientia, ab iis merito possumus abstinere.

### §. XIX.

Occurrere autem quisquam nobis hic possit, cum dicat, quia homines, uti allatum a nobis sit, Aristoteli se iureiurando obstrinxerint Saeculo adhuc XVI. exeunte, non posse servitutem pace religiosa dici excusam. Quo, si quis prematetur scrupulo, is eum credat facile animo exemptum iri, cum animaduerterit, ipsis hoc hominibus obstinataeque uoluntati eorum esse adscribendum. Praeterea non in hanc opinionem descendimus, ut pataremus, uno statim tempore tantam rerum mutationem, factam, sed, moderatrice pace, sensim perdetentimque in multis accidisse.

### D

### §. XX.

a) in *Brunio* c. 12.



## §. XX.

Superest alia quaedam erudita seruitus, nondum sublata, sed quae aetatem tulit feretque, antiquissimam. Ea nempe, in quam homines se libere dant, ubi hominum in magna aliqua auctoritate constitutorum ita animo comprehendunt opiniones, ut ne machinis quidem admotis, eas extorqueri sibi patientur. Sic Aristoteli, ut hoc utar, quem philosophiae regem bigis quadrigisque arcessitum in solio constituerunt, sponte, ac coeco auctoritatis amore, se ita subiecerunt, ut pro eius doctrinae ueritate sanguinem profundere uoluisse, aliquis diceretur. Alium, referunt, Philosophum Pythagoreum, tanta se erga Aristotelem fide obstrinxisse, ut nulla adigi potuerit ui, quo tubum inspiceret, ne scilicet conuinci se pateretur, stellas quasdam, a GALILAEO a GALILAEIS detectas, Aristoteli ignotas fuisse. b) Cuius seruitutis male sanae, caussae multae sunt, laboris fuga, blandiendi studium c) et coeca auctoritatis fiducia, falli, ut putant, nesciae. Qua, qui ita alii inseruunt, quid aliud faciunt, quam, ut in medio sole, tenebras quaerant, digni, quibus CICERO d) in aures infusurret: *Non probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus, quos ferunt, si quid affirmarent in dispurando, cum ex iis quaereretur, quare ita esset, respondere scitos, IPSE DIXIT. IPSE autem erat Pythagoras.*

b) Conf. ASCHIANVS, *de superflit. erudita* p. 20. ubi plures testes adducit.

c) VENATIUS apud TERENTIVM. Eun. Act. II. Scen. II. v. 20,  
*Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque:*

*Negat quis, nego: ait, aio: postremo imperavi egomet mihi,*

*Omnia assentari, is quaestus nunc est mulio uberrimus.*


d) De Natura Deorum Lib. I. c. 5.

ras. Tantum opinio praeiudicata poterat, ut etiam sine ratione ualeret auctoritas.


§. XXI.

Quae igitur de seruitutis eruditiae liberatione protuli, eo spectant, ut etiam eo nomine religiosae pacis beneficium agnoscerem eiusque praestantiam. Cuius fructus uberrimos dulcissimosque, quemadmodum solemni nuper laetitia menteque gratissima praedicauimus: ita Deo, huius pacis auctori pro officii religione nunquam non supplicamus, ut hanc libertatis nutricem, firmam stabilemque esse iubeat. Seruet Deus REGEM nostrum augustissimum clementissimumque libertatis seruatorem, qui nobis, quae celebrauimus, otia fecit, eiusque totam DOMVM REGIAM omni gloria, prosperitate atque incolumitate beet. Seruet Academiam, ut libertate diuinorum humanarumque ueritatum, pace moderatrice perpetua frui possit.









99 A 6912

6078

VD 77


Petrakova

56

ULB Halle  
002 721 678

3





B.I.G.



Q. D. B. V.

D E

SERVITVTE ERVDITA  
PACE RELIGIOSA  
SVBLATA  
COMMENTATIO ACADEMICA

Q V A  
P R A E S E S

IOANNES GOTTLLOB HEYNE

A. M. ET ORD. PHILOSOPH. ADIVNCTVS

D. V. NOVEMBRIS

ANNO PACIS RELIGIOSAE SAECVLARI ALTERO MDCCCLV.

IN AUDITORIO MAIORI  
L O C V M

INTER AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
ADIVNCTOS

BENEVOLE SIBI CONCESSVM VINDICABIT

R E S P O N D E N T E

IO. ANASTASIO GRVLICHIO

FREYBERGENSI

SANCT. HUMANIORVMQUE LITERARVM CVLTORE

WITTEBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

*Dr. F. K. Sch.*